

vestitum muliebri lateret. Cùm verò à vobis desideraretur, essetque obscurum, ubinam delitesceret, quave ratione posset inveniri, ego dedi operam, ut investigarem, ubi versaretur: cumque explorassem eum occultari in Scyro insula, clam illuc profectus sum, allaris mecum variis mercibus, quibus & puellæ & juvenes delectantur. His expositis ad Gynæceum Regis, cum accedentes puellæ contemplarentur & cuperent quæ ipsis placebant, Achilles adhuc muliebri veste indutus, arripit parmam & hastam: unde conjecturam feci, hunc ipsum esse Achillem. Itaque cum allocutus & hortatus sum, ne subterfugeret militiam, neve dubitaret nobiscum oppugnare Trojam, ad cujus interitum ipse natus esset: effeci denique ut mecum proficisceretur, & in bello egregiam vobis operam navaret. Ergo quicquid ab eo præclare, quicquid utiliter hîc gestum, mihi sane debetur. Ego Telephum domui: ego insulas & urbes Trojæ vicinas expugnaui: ego denique præstiti, ut esset qui sævum & omnibus formidabilem Hectorem compefceret atque prosterneret. Quare his armis, quibus ego Achillem tunc indui, me pro tanto in rempublicam merito nunc donari atque ornari non iniquum esse censeo.

VT DOLOR VNIVS] *Quod rem difficilissimam sed utilissimam confecerit persuaso Agamemnone, ut filiam pro salute Græcorum immolaret ad placandam Dianam.*

Alterum hoc beneficium mihi quoque acceptum ferri debet, quod cum universus exercitus noster jam convenisset in Phrygiam classe transmissurus, nec idoneam tempestatem haberet, ac propterea in Aulide diu hæreret otiosus; ego tandem perfeci, ut classis inde solveret. persuasi enim Agamemnoni, ut Iphigeniam filiam suam, pro salute exercitus immolaret Dianæ, quæ irata adversis ventis nos remorabatur, & illam sacrificium sibi hostiã dari poscebat. Quanta vero difficultate hoc à patre impetraverim, ipse mihi testis est. Fateor equidem (fateantur autem Agamemnon ignoscat orò) me in hac causa adhibuisse omnes ingenii vires, omnes eloquentiæ machinas